

CONCIO VII.

finierit Deus Iudeis diem sabbati, id non naturalis juris, sed legis tantum cæremonialis fuisse. Potuit ergo Ecclesia, quæ in nova lege minime obligatur ad leges Iudeorum cæremoniales, mutare illum diem et determinare alium ad divinum cultum; idque magnis de causis facit. Primo, ne cum Iudeis celebrando sabbatum videretur iudaizare; secundo, quia ingentia beneficia die illa mundo exhibita: creatus mundus, resurrexit Christus, missas Spiritus sanctus, abrogata lex vetus et promulgata nova; tertio, quia sabbatum celebratum fuit partim in memoriam beneficii præteriti; creationis mundi videlicet, partim ad significandum aliquid futurum. Figurabat autem tria futura beneficia, ad quæ revocantur omnia alia. Primo, quietem Christi in sepulcro; ut enim Deus sabbato quietit ab opere redemptionis, ut apostolus obseruat ad Heb. IV. et hoc sensu allegorico; secundo, sensu tropologico quietem mentis humanae a servilibus peccatorum operibus. Iudei enim dum sabbato vacabant, monstrabant venturum tempus gratiae, quo liberati homines a servitute peccati, quiete spirituali fruerentur, ut exponit S. Augustinus, tract. XXX. in Joan. Tertio, sensu anagogico figurabat quietem sanctorum animarum, quam post mortem in sinu Abrahæ expectabant, ut docet S. Augustin. ep. CXIX. Jam vero propter has easdem causas decuit ut sabbatum in lege nova mutaretur in dominicam. Quantum enim ad memoriam præteriorum, dies dominica longe præcellit sabbatum; nam refert nobis memoriam natalis Christi (siquidem die dominica natum ostendunt calculi mathematicorum) et resurrectionis ejusdem, neenon adventus Spiritus sancti, quo die nata est quodammodo Ecclesia. Repræsentat etiam memoriam creationis mundi non minus quam sabbatum, quia ille die coepit mundus fieri et factus est quoad principales sui partes. Quoad futurorum significacionem, cessare debuit sabbatum, quia omnia impleta sunt, quæ per illud figurabantur; etenim Christus jam in sepulcro quievit, et quies animorum in Deo jam agitur: quies vero animalium in sinu Abrahæ jam est mutata in gloriam et beatitudinem, quæ per dominicam melius repræsentatur quam per sabbatum. Et ideo S. August. ep. cit. ait sabbatum recte datum Hebreis, qui post mortem ibant ad solam quietem; Christianis vero datam esse diem dominicam, quia jam revelata est gloria resurrectionis Christo, et quod præcessit in capite, etiam corpus totum expectat.

Has ob causas Ecclesia magno semper in honore habuit diem dominicam et quatuor insigni-

vit prærogativis. Primo, Christiani convenient in Ecclesiam ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem, ut ex Justino patet apol. II. Secundo, vacabant ab operibus servilibus, ut patet ex Hieron. ep. ad Eustochium de virginit. et Gregor. l. XI. epist. III. Tertio, non jejunabant, ut patet ex Tertull. de corona militis et aliis. Quarto, non flectebant genua, sed stantes precabantur, de quo extat canon XX. Nicæni Concilii, et Tertull. lib. cit.

Imprimis vero summo in honore semper habita fuit dominica resurrectionis, seu hodiernæ dies, quam S. Gregorius appellavit, *Festum festorum et regem dierum*, apud Gretser. l. de festis. Ad ejus honorem imperatores reos libertate donarunt. Anno Christi 385. Valentinus, Valens et Gratianus Augusti sanxerunt, et ad Lampadum urbis præfectum ita rescripsérunt: *Ob diem paschæ, quem intimo corde celebramus omnibus, quos reatus astringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Ubi primum dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnia vincula solvantur.* Extat hoc rescriptum, l. VIII. de indulg. crim. C. Theodos. Eamdem indulgentiam reis eodem festo dedit in oriente Theodosius imperator, ut testatur S. Chrysost. orat. de Flaviano episc.

Hie accedit divina attestatio, que sanctæ hujus diei violatores graviter punivit. In vita S. Mauriti Andegavensem episcopi (qui fuit discipulus S. Martini) 5. septemb. narrat de quodam, cui nomen erat Belgicus. Hie die paschæ mandaverat servis ut segetes mundarent, replicant illi esse diem paschæ, ipse urget et invitox cogit; sed cum illi segetes sarrire tentarent, mox Belgicus oculorum cæcitate percussus clamavit ut cessarent: cum autem tres annos in ea cæcitate permanisset, tandem tangens S. Mauriti pertransentes vestes, sanatus est. In vita S. Bertini narratur ipsa nocte resurrectionis tres servos ex S. Mauriti mart. monasterio punctione vacasse, atque cepisse quidem picum copiam, sed duos ex ipsis manuum et pedum officio privatos, toto corpore contritos et navi exire non potuisse; tertium vero et claudum et surdum effectum, qui tantum scipionum opera in nocte resurrectionis visitans monasterium Sancti Bertini, eumque cum lacrymis invocans, per ejus merita sanitati restitutus est. Ergo, auditores, quando hodiernum festum tanti semper æstimatum est in Ecclesia catholica, superest, ut nos quoque debita cum reverentia illud suscipiamus, eoque cultu et pietate qua primi Christiani solebant, ferias istas transigamus, quo tandem aliquando cœlesti illud pascha cum Christo manducemus in regno ejus.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

- I. Ratio serviendi Deo. — II. Conversandi in templo. — III. Firmiter in Deo sperandum. — IV. Hæreticorum imposturæ. — V. Ratio parandi nos ad s. communionem. — VI. Effigies beatitudinis.

THEMA.

Ecce locus ubi posuerunt eum. Marci XVI.

Nostis, auditores, Salvatorem nostrum comparsæ corpus suum templo Salomonis, Joan. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, dicebat de templo corporis sui, et quidem sapientissime. Nam primo, ut primum illud templum extruit a Salomone, destructum est a Chaldeis, reparatum a Zorobabele; ita corpus Christi enectum est a Iudeis, restauratum ab ipso Christo. Secundo, reparatio templi Salomonici magna festinatione peracta est, urgentibus opus levitis, ut habetur I. Esdr. III. corpus etiam Christi Domini tertio die vix inchoato restitutum et ab inferis excitatum est. Tertio, de secundo illo templo scribit Aggæus, cap. II. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Templum etiam corporis Christi redivivi longe fuit augustius, quam fuerit prius, utpote gloriosum et immortale. Denique, ubi templum illud secundum consummatum fuit, ingens Hebraeorum clamor et vociferatio præ gaudio audita fuit, ita ut clamantium voces intelligi non possent: nos etiam hoc die, quo instauratum est corpus Christi, jure merito lætamur et vociferamur alleluia, tametsi vocem hanc peregrinam aliqui non intelligunt. Cæterum ut cum fructu gaudere hodie possimus mente revolvamus, quæ circa hujus templi reparationem contingisse narrantur in evangelio, sepulerum aspiciamus, quo nos remittit angelus dicens: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.*

I. Ecce locus, ubi discimus modum serviendi Domino Deo, et quidem in mulieribus pergentibus ad sepulcrum. Primo enim summo mane, imo de nocte surrexerunt, et emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum, ieruntque ad sepulcrum diluculo, ante solis ortum. Docent ergo non usque ad multam lucem stertere, sed solis ortum prævenire surgendo, quemadmodum et Christus ipse surrexit ante solis ortum; præterea primam diei actionem Deo ejusque cultui, orationi vel meditationi consecrare. Pretiosum unguentum est oratio et meditatio, quod de nocte paramus, cum noctu subinde nos colligimus, quid mane meditaturi vel boni acturi simus. Ha-

buit hoc solemne David, qui Psal. LXII. ait: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Eumdem psalmum incipit: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* q. d. cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem et ita vigilo ad quærendum, et desidero te velut cibum et potum animo et corpore. Mundi et gula men dacia quamprimum mane evigilant, haustum selectioris vini postulant ob sitim ex præcedente crapula, atque ita summo mane rursum se pro luunt: hæc illorum oratio et meditatio matutina est, sed non similis Davidicæ: *Sitivit in te anima mea, inquit, neenon et caro mea.* Idem quam soleret tempestive surgere, prodit Ps. LVI. cum dicit: *Exsurgam diluculo:* alii legunt: *Excitabo auroram,* quasi ægre ferret moram surgentis auroræ, qua se orationi deberet. Pretiosum etiam unguentum esse missa sacrificium mane præsertim eum devotione quotidie auditum, quod vocamus a majoribus nostris sedulo frequentari solitum, et in eum finem magnis piorum impensis fundatum. Eo instigat nos exemplum Job, qui sanctificabat filios suos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis, Job. I. Non tanti constat sacrificium nostrum, quanti sacrificia Iudeorum, ovis, capra, vitulus, bos; non tanti, quanti unguenta et aromata mulierum: ecce ergo tardamus sacrificeare nos, et ungere Dominum nostrum?

Secundo, Magdalena adjunxit sibi socias, mulieres devotas; et cum iis velut signifera perrexit ad sepulcrum. Ita boni fideles nituntur ad Christum, hoc est, ad fidem, ad Dei cultum, ad tempulum adducere secum alios quoque, præsertim cognatos suos, et familiares suos. Quod egregie præstitit S. Bernardus, qui ubi se religioni devovit, studuit mox ad idem propositum pertrahere fratres suos, aliosque propinquos et notos, idque felici prorsus successu, ut habetur lib. I. vita ejus, c. III. Omne agens prius et fortius agit in res sibi vicinas et cognatas, quam in remotas et dispare, ita ad suos quisque propinquos, domesticos et subditos attendere debet, ut Christo eoslcreetur, ne alioquin juxta apostoli sententiam sit infidelis deterior, I. Tim. V.

Tertio, rigide observabant sabbatum; cum enim transisset sabbatum, emerunt primum aromata non ipso sabbato; sed, ut ait S. Luc. *Sabbato siluerunt* (id est, quieverunt ab opere) *secundum mandatum.* Opus pius erat parare Christo unguenta, nec multi laboris: ne tamen propterea officinae armatariae recludi deberent, indeque aliqui scandalizarentur, maluerunt in

sabbato supersedere hoc opere. Dicet igitur, ut festis diebus clausæ sint officinæ mercatorum, ne facile aperiantur exigua de causa. Et si parare unguenta Christo visum est mulieribus sabbato adversum, quid erit in eodem parare luxum vestium ad despiciendas animas? Parare componaciones ad inebriantos et sepieliendos alios? Parare aleas? Instruere choreas, etc.

Quarto, liberales quoque fuerunt ad ergandum pro honore Christi. Non erat illis statis, uncertain fuisse Christum a Nicodemo centum libris; voluerunt et ipsæ ungere. Nemo ergo indigneatur, quod ad cultum rei divinæ et decorum templorum magnæ quandoque impensæ fiant, cum totum Christo fiat, qui omnia rependere potest, quod experti nostri majores, qui tot fundatis episcopatibus, monasteriis, templis, etc. nihilo pauperiores facti sunt. Nemo dicat: Quid opus dare pauperi, cui alius jam dedit? etc.

II. Ecce locus, ubi cernimus rationem conversandi in templo per easdem feminas ad sepulcrum commorantes. Primo enim, ad conspectum angeli sedentis in sepulcro timuerunt; unde ad ipsas angelus: *Nolite expavescere.* Ita par est in templo cum timore et reverentia conversari ob presentiam non angelorum tantum, sed etiam ac maxime ipsius regis angelorum Christi; cuius est domus illa. Hinc forsan templum Salomonis in formam leonis extructum fuit, ut volunt doctores apud Vilalpand. tom II. ideoque *Ariel*, id est, *leo Dei* dictum, ut sciremus instar leonis in templis suis pavendum esse. Certe sepulcrum Domini et templum supra id extructum hactenus Turcæ velut leo fuit, dum id ipse nunquam demoliri ausus est, ne Deo pœnas daret, licet hoc Christianis saepius comminatus fuerit. Cæterum timori confidentia jungenda; ideoque enim angelus ait: *Nolite expavescere.* Quia Deus in templo malis et impenitentibus est instar leonis: bonis vero et penitentibus instar agni. Secundo, *Jesum querunt Nazarenum*, ut angelus testatur, mentem earum perspiciens. Ita nullo alio fine in templo est eundum, nisi ut queratur Jesus. Non queratur pecunia, non respectus hominum, non præminentia, non inanis gloria: salus querenda est, quam dat et significat Jesus. Alioquin nobis dei posset: *Quid queritis viventem cum mortuis?* Quid vitam et salutem vestram in rebus fluxis et perituri? Tertio, *Declinarunt vultum in terram*, ut scribit Lucas. Pari modo in templis commorandum cum verecundia. Quam etiam docebant angeli visi Isa. VI. qui in templo coram Dei solo constituti duabus alis velabant facies suas, et duabus pedes suos. Facies, quod tantum divinitatis jubar

irretorto oculo aspicere non possent: pedes prævere cundia, ne quis aspiceret imperfectionem eorum. Quod si ita angeli: quomodo nos mortales et peccatores? Sane haec de causa veteres orabant obiecto capite et facie; et hinc usus amictus, quo sacerdos sacrificaturus caput suum velat. Ad terram ergo vultum declinamus, cum nostram vilitatem coram Deo expendimus ad instar Abrahami dicentis: *Loguar ad Dominum, cum sim cinis et pulvis*, Gen. XVIII. et illius publicani, qui in templo stans a longe non audiebat attollere faciem suam, Luc. XVIII. Quarto, silentium observarunt, nihil enim locute leguntur apud sepulcrum. Quia re docent et in templo audiendum potius angelum, id est, sacerdotem, quia pronæ ad loquendum sunt. Verum in hoc venerando loco neverunt domare linguam: quomodo etiam anseres silvestres animal sane streperum, ubi Caucasum montem prætervolant, metu aquilarum sciunt servare silentium, sumptu in rostrum lapillo. Ergo ut alibi garrisce liecat, non licet tamen in templo, ubi morantur angeli et observant garris. Quod si propter angelos voluit apostolus velatas esse in templo mulieres, I. Cor. XI. quanto magis tacitas? Quinto, manserunt apud sepulcrum donec abire jussæ sunt ab angelo dicente: *Ite, dicite discipulis, etc.* Ita etiam decet perseverare ad rem divinam, donec dicat sacerdos: *Ite Missa est;* hoc est: ite, plebs dimissa est: sed de his alibi ex instituto dicendum.

III. Ecce locus, ubi erigimur ad spem et confidentiam in Deo collocandam. Primo enim, feminæ matutino in crepusculo pergunt ad sepulcrum, non habita ratione satellitum, qui id custodiebant; nec lapidis sepulcralis, cui revolvendo minime pares erant. Conferebant quidem inter se de hac difficultate dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem?* Non tamen ideoque regressæ sunt quasi despondentes animum; sed constantes perrexerunt, in Deo confidentes, ut eui non defutura esset ratio et medium ad sepulcrum reserandum. Itaque factum Dei providentia ut lapis ab angelo removeretur et custodes angeli conspectu territi diffugerent. Nimirus ubi humanum deficit auxilium, ibi adest divinum, modo in Deum confidamus. Testis Judæorum disertissimus Philo, qui cum aliis Judæis apud C. Caligulam Cæsarem accusatus ab Appione, quod Cæsari divinos honores non tribueret, ejectus ex aula, sociis Judæis respondit: « Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius, quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. » Testis est Eusebius, lib. II. hist. cap. V.

Hac spe in Deum obseruatus S. Joannes, qui

eo quod mire coleret silentium, Silentarius est dictus, cum relicto episcopatu in monasterium clanculum sese recepisset, et in disciplinam S. Sabæ tradidisset; atque Alamundarus cum suis Saracenis Palæstinam, ejusque monasteria vastaret, et multa hominum millia in servitatem adduceret, cæteris fugientibus, solus Joannes in monasterio remansit, ponens altissimum refugium suum. Ursurpauit eum monachi, ut et ipse fuga sibi consuleret; quous ille: *Si Deus, inquit, mei curam non gerit, ut quid vivo?* Nec eum spes, aut Deus fecellit. Misit enim illico ingentem et horribilem leonem, qui Joannem custodiret die et nocte, eumque semper comitaretur, a Saracenorū insidiis et injuriis tutaretur. Ita refert oculatus testis Cyrillus, in ejus vita.

At vero ignavos et pusillanimes terret saepe lapis cordi eorum impositus, ne ad Deum conseruantur, velut difficultas pœnitentiæ, amor illecebrarum, timor perseverantiae, spes longioris vitae, caro et sanguis, societas amicorum, respectus hominum, ignorantia, etc. Hi lapides premunt multos, ne expedire se a sepulero herreos, aut aliorum scelerum queant: similes exploratoribus illis, qui Palæstinam inexpugnabilem fingebant, quasi meros gigantes, et muros usque ad cœlum pertingentes haberet devoraretque incolas suos, Num. XIII. Sed pudefunt isti ab hodiernis mulieribus, quæ objectas sibi difficultates contempserunt, ideoque divinitus adjutæ sunt.

Secundo, Magdalena peccatrix fuerat, ei tamen præ ceteris et feminis et viris apparuisse Christus scribitur, Marci XVI. Deinde Petrus ante triduum, graviter offendit abnegando Dominum suum, et tamen hoc posthabito mulieres ad Petrum in specie allegantur, ut denuntient ei magistri anastasin; appetit etiam Dominus separatim et soli. Quis ergo in posterum desperet de Dei misericordia pœnitentibus impertienda, vel de efficacia pœnitentiæ, quando hæc duæ errantes oviculae in humeros pastoris tam amanter impositæ, hæc duo fracta crura tam firmiter sanata, hi duo Æthiopes tam feliciter abluti et dealbati, hi duo perduelles in tantam Dei gratiam recepti sunt?

IV. Ecce locus, ubi deprehendimus hereticorum imposturas. In primis enim argumentantur Calvinistæ Christum non surrexisse clauso ex sepulcro, sed indiguisse angeli opera, qui revolveret lapidem ab ostio monumenti, ne cogantur fateri duo corpora posse esse in uno loco, et unum in duobus, ut est Christus in eucaristia. Sed insaniunt miseri, quia revolveret angelus lapidem, non ut Domino præberet aditum, sed

ut Dominum jam surrexisse monstraret, inquit D. Chrysologus, serm. LXXV. idemque sentiunt omnes alii ss. patres. Quemadmodum enim natus est, servatis integris claustris virginis, ita quoque resurrexit servatis integris monumenti signaculis, ait Euthymius, Matth. XXVIII. Angelus ideo solum lapidem revolverit, ut ipsum sepulcrum testaretur surrexisse Dominum; ad hoc enim utitur ejus testimonio: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Et stultum est cogitare Christum potuisse resurgere, et non potuisse lapidem penetrare. Longe vero stultius non potuisse propriis viribus lapidem amovere, si tamen amovendus esset, indiguisse ope angeli, quia angelus Christo fortior esset.

Deinde occurunt Lutherani conanturque ostendere mulieribus congruere munus concionandi non secus ac viris, quod concessit sane Lutherus, et hinc probare conatur Aegidius Hunnius, in postilla sua super hac dom. siquidem mulieres mittuntur ad apostolos ut annuntient eis Christum redivivum. Verum et hi executiunt. Non enim audiunt mulieres: *Ite et prædicate evangelium hoc, sed, Ite dicite discipulis et Petro.* Aliud est prædicare, aliud dicere cuiquam aliquid. Nec mittuntur feminæ promise ad omnes, sed ad apostolos, futuros concionatores, quibus concionari feminas minime decebat. Actor. c. XVIII. legimus ab artifice nomine Aquila et uxore ejus Priscilla instructum Apollo, prædicatore cæteroqui eloquentem et eruditum, in baptimate tantum errantem (utebatur enim Joannis, non Christi baptismu) non legimus tamen sive ab Aquila sive ab uxore ejus assumptum esse concionandi officium. Denique jugulantur Ubiquistæ ab angelo dicente: *Surrexit, non est hic.* Fingunt illi communicationem idiomatum inter utramque Christi naturam, ut quod uni competit, etiam alteri competit. Quoniam igitur divinitas Christi ubique est, volunt etiam ubique esse ejus humanitatem. At contradicit angelus: *Surrexit, non est hic;* secundum humanam scilicet naturam, secundum quam surrexit nec erat amplius in sepulcro. Mentiuntur ergo Ubiquistæ. Communicatio idiomatum locum habet in persona Christi, non in naturis ejus.

V. Ecce locus, ubi discimus modum præparandi nos ad dignam communionem. Docent hoc mulieres, quæ primo, summo mane surgunt et præparant unguenta. Hæc paramus nos cum elicimus contritionem de peccatis nostris eaque lacrymis diluimus. Fit autem hoc unguentum ex consideratione gravitatis et multitudinis peccatorum nostrorum, majestatis divinæ quam offendimus, utilitatis et ingratitudinis nostræ, qui

CONCIO IX.

offendimus. Hæc tria ingredientia in mortario cordis contusa et lacrymis commixta, pœclarum unguentum constituunt.

Secundo, disquirunt inter se, quis revoluturus eset lapidem? Facimus id nos, cum eligimus confessarium doctum et discretum, qui revolvore possit lapidem, hoc est, grave peccatorum onus a dorso nostro, salutari sua instructione, prudentia, absolutione, et congrua poenitentia impositione. Non est hæc inutilis quæstio: Quis eligendus confessarius, qui revolvat lapidem? Pius simul et peritus ad hoc adhibendus.

Tertio, introspicunt in sepulcrum, imo et ingrediuntur. Nobis etiam in confessione inspi ciendum et perscrutandum est cor nostrum, an perfecte se exonerarit ab operibus mortuis: num forte in eo sint adhuc reliquie peccatorum vel affectus erga illa, an sincerum emendationis propositum. Non simus contenti examine conscientiae a confessario exhibito, sed ingrediatur unusquisque in seipsum et rimetur viscera sua.

Quarto, exeuntes fugiunt de monumento, ut testatur Marcus, cum timore et gaudio magno, ut Matthæus: pari modo nos regressi de confessione fugiamus de sepulcro vitiorum et pristina nostra conversatione mala, juxta id Sapientis: *Quasi a facie colubri fuge peccata*, Eccl. XXI. Gaude te evasisse laqueos diaboli, sed interim etiam time tibi que attende, ne in eosdem recidas.

Quinto, pergunt ad apostolos et cum illis abeunt in Galilæam ad videndum Jesum. Et nos peracta confessione, si Christum in s. communione cernere et tangere volumus, in domum cordis nostri ad bonas cogitationes recipere nos debemus et transmigrare (hoc enim sonat Galilæa) a vitiis ad virtutes, eas imprimis, quæ in s. communione exercenda sunt, fidei, amoris divini, humilitatis, reverentie, fiducie, famis spiritualis, etc. deinde ad novam vitæ conversationem; atque ita demum pascha rite celebrabimus. Pascha enim transitum significat fuitque Christo transitus a morte ad vitam eamque immortalem. Unde S. Ambrosius, in sermone de paschate ait: «Moneo ut rite pascha celebretis, id est, transitum faciatis. Quicumque malo hanc festivitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes.» Et D. Bernardus, ser. I. de resurrectione: «Christus quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitad transitum, vocat in Galilæam.» Ubi etiam ait eos privare hunc diem nomine suo, qui hoc tempore ad peccata redeunt. Transitus ergo sit non redditus, pascha Christianorum et quidem ad vitam perennem.

VI. Ecce locus, ubi cernimus effigiem beatitudinis, quam expectamus in die resurrectionis

universalis. Eam vero exhibet angelus, qui primo, apparuit juvenili specie, quia omnes resurgemus in mensura ætatis plenitudinis Christi, ut ait apostolus ad Eph. IV. adeoque in juvenitatem flore. Secundo, fulgureo erat aspectu quia beatorum corpora splendebunt instar solis. Tertio, vestibus induitus erat albis ad instar nivis, quæ significant gloriam et beatitudinem animæ, juxta id Apoc. VI. *Datae sunt illis singulae stolae albæ*. Eadem promissæ vincenti Apoc. III. Quarto, sedit super lapidem, quia in celo consistans et perpetua quies, necnon regalis dignitas in beatis. Quinto, a dextris, quia nihil in celo sinistrum aut adversum, omnia dextra, secunda et felicia. Sed de his alibi satis.

Superest nunc, ut quæramus nobis locum quoque in celo, ubi in templo gloriae cernamus Deum et Dominum nostrum, eumque cum angelis et beatis perpetuo laudemus

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur veniunt ungere Jesum. — II. Quænam illæ mulieres. — III. Quo tempore venerunt. — IV. Quis revolvit lapidem? Angelus. — V. Quis juvenis sedens in dextra? 1. Juvenis. 2. Fulxit. 3. Coopertus stola. 4. Sedit. 5. A dextris. — VI. Quibus primo annuntiata Christi resurrectio? Feminis. — VII. An et quando Deipara Christus apparuit? Ante omnes. — VIII. Cur mulieres ad discipulos mittuntur. — IX. Cur in specie nuntiatu Petru. — X. Cur in Galilæam alegendantur discipuli.

THEMA.

Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?
Mar. XVI.

Quod mulieres de sepulcro Christi dicunt, hoc vos, auditores, dicere potestis de Christi evangelio: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Etenim evangelium et tota S. Scriptura quoddam Christi sepulcrum est, in quo reperitur Christus, sed obscurum et profundum clausumque grandi lapide: ita ut magnum illud Ecclesie lumen August. lib. XII. conf. c. XIV. exclamat: *Mira profunditas eloquiorum tuorum, Deus meus, mira profunditas!* Et S. Ambros. ep. XLIV. ad Constant. Mære est in se Scriptura divina, habens in sensu profundo, altitudinem propheticorum ænigmatum. Et hinc eunuchus ille Æthiops legens Isaiam reperit quidem locum, in quo latebat Christus, quasi in sepulcro, descriptus a propheta: sed absque via duce et interprete mi-

DOMINICA RESURRECTIONIS.

nime ingredi potuit: *Quomodo possum, inquit (intelligere) si non aliquis ostenderit mihi? Graece: Si non aliquis dux viæ mihi fuerit. Itaque ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera, etc. ut intelligeres, te in Scripturis sanctis sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi.* Ita S. Hier. in epist. CIII. ad Paulinum. Ergo littera Scripturæ larvæ ille magnus est, sub quo clausus latet spiritus sacri evangelii: et nisi is revolvatur ab aliquo qui viribus intellectus pollet, non video, auditores, quomodo vos ingredi in Scripturæ abdita possitis et salutem reperi. Quare Dei præsidio nixus conabor amovere lapidem ab hodierno evangelio, et latentem sub littera spiritum vobis commonstrare.

I. Cur venerunt ungere Jesum mulieres? Nonne sciebant eum a Joseph et Nicodemo jam prius unctum fuisse? Resp. probabilius esse sci- visse eas hoc, rursum tamen ungere voluisse Dominum. Primo, ut amori suo satisfacerent ejusque magnitudinem aliis testatam facerent.

Amor enim nunquam dicit: *Sufficit*; nec contentus est aliorum obsequio, quamdiu manus ipse non admovit. Hinc qui vere amant, non satis habent, si pauperes et miseros ab aliis adjutos putent: ipsi quoque juvare, et in propria persona volunt. Secundo, ut Hebræorum consuetudini, qua charorum cadavera solebant sæpius perungiri, (uti Jacob patriarchæ per dies quadragesima, Gen. L.) se accommodarent. Ea vero consuetudo ab Egyptiis fluxit ad Judæos, qua intendebant dilectorum corpora e putredine servare, saltem ad memorabile tempus. Unde arguit in his mulieribus imperfectionem fidei, siquidem Christus tertia die surrecturus, nulli corruptioni obnoxius erat, adeoque non indiguit tali unctione. Duravit etiam hic mos adhuc in primitiva Ecclesia, ut scribit D. Dionys. c. VII. eccl. hierar. p. II. et III. tum ut ea unctione honorarentur sanctorum corpora velut Spiritus s. organa, tum ut indicaretur perfecisse eos purgnam suam, ad quam in baptismo uncti erant, tum ut nos defunctos ungamus piis suffragiis, precum et eleemosynarum.

II. Quæ et quot mulieres ad sepulcrum abierrunt? Resp. Matthæus recenset duas tantum, Magdalenam et alteram Mariam matrem Jacobi minoris, quam cap. XXVII. junxerat Magdalena. Marcus addit Salomon matrem Joannis evangelistæ. Lucas addit Joannam (uxorem Chuse procuratoris Herodis) Luc. VIII. et alias quæ cum eis erant. Plures ergo quam tres, imo quam quatuor erant. Deipara non interfuit, quia certo credidit filium tertio die resurrectum,

adeoque nullis indigere unguentis. Sane si sepulcrum adiisset, eam præ ceteris evangelistæ commemorasset, ut opinor, non tamen assero, quia sunt etiam qui sepulcro adfuisse putent.

III. Quo tempore venerunt ad sepulcrum? Resp. Marcum scribere, una, id est, prima sabbatum, quæ est dies dominica: *valde mane orto jam sole*: Luc. *valde diluculo*: Matthæum vero *vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*. Sed qui hæc consentiunt? Respon. quod Matthæus scribit, *vespere*, seu ut sonat Graeca vox sero, sumendum pro toto serotino et obsecro tempore sabbati, quod extendit se usque ad diluculum prime sabbati seu dominice diei. Nocturno ergo tempore egressæ videntur et diluculo seu paulo ante solis ortum ad sepulcrum pervenisse. Quod vero Marcus scribit, *orto jam sole*, intelligendum non de ipso corpore solari quasi horizontem jam supergressum fuerit, sed de solari lumine quod jam emicabat in diluculo supra horizontem.

IV. Quis revolvet lapidem ab ostio monumenti? Respondet Matthæus: *Angelus enim Domini descendit de celo, et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum.* Missus ad hoc de celo angelus primo, quia lapis erat valde ponderosus, qui unius et alterius hominis viribus removeri non poterat. Secundo, ut celestis ille opitulator ostenderet pacem inter celum et terram, angelos et homines esse jam compositam, foreque deinceps majora et suaviora inter eos commercia, quam ante Christi passionem fuerint. Tertio, ut homines ad Christi resuscitati et glorificati conspectum prepararet: idcirco facies ejus radiabat instar fulgoris, vestis instar nivis, ut totum claritatis, subtilitatis, agilitatis et immortalitatis in Christo et beatis aliis demonstraret. Quid enim fulgure radiantius? Quid penetrantius? Quid agilius? Quid fortius? Ad hæc super lapidem sedit, ut ostenderet Christum deinceps ab omni passione liberum, perpetua et stabili in quiete victurum.

Porro revolvit angelus lapidem; non ut Christo resurgententi viam aperiret, sed ut vacui sepulcri et vestium ostensione Christi resurrectionem jam factam comprobaret. Clauso enim sepulcro non poterant ea tam aperte discipulis constare. Hinc angelus sepulcri testimonio utitur: *Venite et videite locum, ubi positus erat Dominus.*

V. Quis ille juvenis sedens in dextris, cooperius stola candida? Resp. esse eundem angelum, qui revolvit lapidem. Qui primo, appellatur juvenis, ut nos doceat omnia in celo esse florida, virentia, sana, jucunda: deinde, omnes heatos